

lore omni; post aliquot hebdomadas quodammodo restitutus, sed numquam in integrum; quoties caput citius flecto huc illucve, toties volo ruere, non valeo laborare, debilis sum, hoc et anni conjunctis viribus agunt in perniciem meam.

Reverendiss. Dickrum quaeso salutes et meis verbis grates redde pro plantis; incepti laborare cum iis, sed debui desistere, cum mens et memoria titubaret, ut dixi, irruente morbo.

176 — 179. 181. *Cineraria alpina* valde polymorpha species. Habui hanc primum praeterito anno, et adeo diversae inde prognatae plantae, ut dubitassem esse easdem, nisi manu propria a me satae fuissent; istae sub dio ab illis quae in ollis toto caelo differebant. Calyx videbatur apice sphacelatus ut Senecionis.

154. *Scandix Anthriscus*, omnino frequens.

133. *Orchis abortiva*. Halleri in nova historia t. 36. videtur optima, licet vivam non viderim.

178. *Rosa pumila* diversa certe ab omnibus meis.

131. *Lepidium petraeum*. Anne hanc habuisti in Austr. t. 137. sed liber nunc est apud Bibliopegum, ut eum adire nequeam. Columna optime expressit folia. Si habes siccum specimen mittas, ut certo dicam. *Lepidium procumbens* certe est distinctissimum, et siccum specimen possideo, adeoque *Lep. petraeum* non expungendum quidquid dicat Gouanus.

114. *Scilla bifolia* omnino.

187. *Hyacinthus racemosus* sic est.

190. *Hieracium montanum*, meum specimen est magis dentatis foliis. Non examinavi num habeat paleas receptaculum vel non, quod fateor, fide Vaillantii in act. paris. huc retuli, qui raro solet errare in his, adeoque cum eo ad *Hypochoeridis* genus retuli. *Montanum* quidem rectius quam *fontanum*, sed in nomine triviali parum refert.

173. *Heracleum* ni me omnia fallant est *sibiricum*, quod olim in horto habui, et dein ni fallor hic prope Upsaliam legi.